

quibus quomodolibet innodate existunt, ad effectum presentium dumtaxat consequendum haurum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de memoratorum Cardinalium, & Prelatorum consilio, omnia, & singula Decreta præinserta ita tamen, ut tertio, & quarto præarrata ad ditiones fieri, septimum vero reformari, sicut præmittitur, respective debeant, auctoritate Apostolica tenore presentium confirmamus, & approbamus, ac quatenus opus sit convalidamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjungimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus; salva tamen semper in præmissis auctoritate præfate Congregationis Cardinalium, & Prelatorum.

Clausula.

§.4. Decernentes easdem presentes Literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; sique in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Congregationis Mantuanæ, & Ordinis præfatorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus ceterisque contrariis quibuscumque.

§.6. Volumus autem, ut earumdem presentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsi presentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majori sub Annulo Piscatoris die XXX. Januarii MDCC. Pontificatus Nostri Anno Nono.

CXC.

Dat. 30 Jan. 1700. An. 9.

Confirmatur, innovatur, declaratur, & extenditur Constitutio Alex. VII super Datis, & Promissis pro Justitia vel gratia apud Sedem Apostolicam obtinenda, cum adjunctione penarum, & quorundam mandatorum.

Laudata Constitutio, quæ edita fuit 1656, Maji 2. P. 2, hic describitur, & in ea alia duo Bonif. VIII, & Greg. XIII, Item laudantur Constitutiones Clem. VIII ed. 1592, Aug. 15; & Pii V. ed. Dec. 4. P. 6. ab Inn. XI Const. ed. 1678, Oct. 1, P. 2 edita fuit Taxa pro Foro Ecclesiastico. Ab hoc

Pontifice Const. ed. 1695, Sept. 22, P. 5. interdicitur fore conventiones in providendis Ecclesiis, & Monasteriis. Et Const. ed. 1698, Aug. 11, P. 8. abolita fuit venalitas officii Camerariatus S. R. E. Bened. vero XIII Const. ed. 1726, Feb. 3, P. 2. agitur de recta justitie administratione, & litigantium præsertim pauperum utilitate.

INNOCENTIUS PAPA XII.

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Sacerdotalem, & Regiam Urbem Nostram, innumeris Divinæ largitatis muneribus decoratam, quemadmodum inter omnes per universum Terrarum Orbem Ecclesiis sollicitudini Nostræ divinitus demandatas peculiari affectu diligimus; sic mundam, & immaculatam custodire satagimus, ac omni, quo possumus, studio laboramus, agnoscentes profecto, quam deceat, ut quæ per Beati Petri Sedem caput Orbis effecta est, exempla bonorum operum in corpus omne diffundat; ibique potissimum charitatis, Justitiæ, virtutumque omnium splendor effulgeat; ubi divinæ Fidei dispensantur oracula, & Christiani vigeat Sacerdotii principatus.

Exordium.

§.1. Quoniam vero ejusdem Alme Urbis, Romanæque Curie decori nihil æque videtur officere, quam si Justitiæ, Gratiæque negotia, quæ magno numero in dies ex omnibus Catholicæ Ecclesiæ partibus ad Sedem Apostolicam deferuntur, non ea, qua decet, integritate, & ab omni procul avaritiæ suspitione expediantur; propterea fel. rec. Alexander Papa VII. Prædecessor Noster nonnullorum Romanorum Pontificum, & signanter recol. me. Bonifacii VIII. & Gregorii XIII. pariter Prædecessorum vestigiis inharendo, eorumque Apostolicas Constitutiones hac de re editas innovando, & ampliando, quasdam suas in forma Brevis desuper Literas promulgavit, tenoris, qui sequitur, videlicet ALEXANDER PAPA VII. Ad perpetuam rei memoriam.

Causa una. Constitutio Alex. VII.

Constitutio Alex.

Inter gravissimas, multiplicæque curas, quæ ex debito Pastoralis officii humilitati Nostræ divinitus commissi Nobis assidue incumbunt, illam peculiari studio amplectimur, ut Justitiæ, & gratiæ expeditiones, quæ apud Sedem Apostolicam in dies obtinentur, ea, qua par est, rectitudine peragantur, nec pernicioso cujusquam circa illas excessu Romanæ Curie existimatio ullatenus lædatur, sed ipsa Curia in omnibus præclara semper splendat laude integritatis, & abusus quicunque ab illa procul arceantur. Quapropter operæ pretium facturos Nos existimamus, si ea, quæ a nonnullis Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris simili consilio provide sancita sunt, ut in posterum firmius observentur, innovemus, illaque declarem, & extendamus, prout in Domino arbitramur rationi esse consentaneum. Dudum siquidem emanarunt a fel. rec. Bonifacio VIII. & Gregorio XIII. Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris Literæ tenoris, qui sequitur, videlicet.

§.2. Excommunicamus, & anathematizamus ex parte Dei Omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; auctoritate quoque Beatorum Apostolorum, Petri, & Pauli, & Nostræ om-

Constitutio Bonifac. VIII qua excommunicatur dantes, pro-

mittentes, recipientes, non revelantes, & scienter utentes obtentis, quæ nullatenus erunt. nes Clericos, Religiosos, & Laicos, utriusque sexus, sive sint familiares Curie, sive alii undecumque, qui aliquod pactum fecerint, seu aliquod parvum, vel magnum promiserint, vel promissionem receperint, aut ex pacto, sive promissione occulta, vel manifesta facta sub generalibus, & plenarie non expressis, sive sit sub specialibus, & expressis aperte verbis quicquam dederint, aut receperint magnum, vel parvum, vel promissionem de quacumque re, aut utilitate, propter hoc consequenda fecerint, vel receperint pro aliqua Justitia, sive Gratia pro se, aut pro alio in causis, vel judiciis, seu alias per Literas Apostolicas, & quibuscumque modis apud Sedem Apostolicam obtinenda. Et hanc sententiam ad promittentes, & acceptantes, dantes, & recipientes duximus extendendam. Illos quoque, qui aliquem scriperint culpabilem in prædictis, & Nobis intra dierum trium spatium non retulerint, vel alicui, per quem ad Nos verbum fideliter perferat, simili decernimus sententiæ subjacere. Decernimus etiam, ut nullus hanc incurrens excommunicationis sententiam pro prædictis, vel aliquo prædictorum, (absque speciali mandato) Nostræ absolutionis beneficium valeat obtinere; nisi forsân ad Nos habere accessum non possit in mortis articulo constitutus: nec etiam ad absolutionis gratiam admittatur, nisi prius, quantum dedit, vel recepit, integraliter pauperibus largiatur. Justitiam vero, sive gratiam sic obtentam, nullius prorsus esse momenti volumus; omnique statimus carere effectu, & robore firmitatis. Sed & scienter utentes ipsis simili sententiæ excommunicationis adstringimus, & reservantes Nobis absolutionem eorum cum præmissis in omnibus ad penas similes obligamus.

Constitutio Gregor. XIII qua innovatur Const. Bonif. & extenditur ad auxilium dantes, cum adjectione illarum penarum, & impunitatis pro revelantibus.

§.3. Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Ab ipso Pontificatus Nostri principio, quam maxime possimus, enitimus, atque contendimus, ut Dominus, & Curia nostra a sordibus expurgentur. Cui salubri consilio incumbens fel. rec. Bonifacii Papa VIII. excommunicavit, & anathematizavit omnes Clericos, Religiosos, & Laicos utriusque sexus sive familiares Curie, sive undecumque alios, qui aliquod pactum facerent, seu quid parvum, vel magnum promitterent, vel promissionem reciperent, aut ex pacto, vel promissione occulta, vel manifesta, sive sub verbis generalibus, & plene non expressis, sive specialibus, & aperte expressis facta quicquam darent, aut reciperent pro Justitia, sive gratia, sive pro se, sive pro alio in causis, vel judiciis, seu alias per literas Apostolicas, & quibuscumque aliis modis apud Sedem Apostolicam obtinenda, & eam sententiam ad promittentes, & acceptantes, dantesque, & recipientes duxit extendendam. Illos etiam qui sibi intra triduum non renuntiarent eum, quem in culpa esse scirent, vel alicui, per quem ad se fideliter referrentur simili voluit sententiæ subjacere; ac decrevit, ut nullus hanc incurrens excommunicationis sententiam absque speciali mandato suo absolutionis beneficium valeret obtinere, nisi in mortis articulo constitutus: sed nec quisquam admitteret ad absolutionis gratiam, nisi prius erogatum esset pauperibus, quantum ille dedisset, vel etiam receperet. Justitiæ vero, seu Gratiæ expeditiones sic obtentæ nullius prorsus essent roboris,

vel momenti; & scienter illis utentes simili sententiæ innodavit, ac reservans sibi absolutionem eorum cum prædictis ad penas similes in omnibus obligavit. Sed hoc scelus ita hodie in mores inductum est, ut perlicue cupiditate improbi quæstus potentiorum suffragationibus adnixi hujusmodi negotiorum expeditiones hac illac conquirentes, turpissime nundinentur; alii alios, quos gratia præstare arbitrantur, donis, & pollicitationibus ambiant; quidam etiam se talium operam, atque industriam pretio, & muneribus quæstisse assignant; quæ cum pessima sint, & Curie prædictæ existimationem gravissime offendant, in eos, qui talia agunt, animadvertendum fore arbitrati, Constitutionem prædictam cum suis censuris, & penis omnibus innovamus, easdemque omnes extendimus ad audentes qualescumque horum facinorum, quæ adscripsimus, dantesque illis, & aliis supradictis auxiliium, consilium, vel favorem. Quin etiam, eos omnes omni beneficio, & officio Ecclesiastico, & seculari, sive temporali, sive perpetuo ipso iure privamus, ac privatos esse declaramus, & præterea infamiam subiectos perpetuo, ac inhabiles ad illa, & alia esse volumus. A quibus etiam, prout quæque res erit, tales penæ exigantur, quæ ceteris sint exemplo. Illis tamen, qui rem adhuc incognitam, complicesque, fautores, & socios retexerint, impunitas concedatur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleesimo quingentesimo, septuagesimo quarto, nonis Novembris, Pontificatus Nostri Anno Tertio.

Causa Constitutio d. Greg.

Alia causa. Constitutio Alex. VII.

§.4. Cum autem subinde variæ vulgata fuerint prædictarum Bonifacii, & Gregorii Prædecessorum Constitutionum interpretationes, quarum aliqua ipsarum Constitutionum rigorem, non sine earum utilitatis diminutione, & boni publici detrimento contra eorumdem Prædecessorum mentem nimium relaxant: hinc est quod Nos omnem, quæ circa præmissa in posterum, enasci possit, dubitationem tollere, & quamcumque speciem, suspensionem, & occasionem damnatæ per Constitutiones hujusmodi labis a Curia prædicta, quantum Nobis ex alto conceditur, perpetuo excludere cupientes, Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione Nostris, deque Apostolica potestate plenitudine easdem præinsertas Bonifacii, & Gregorii Prædecessorum Constitutiones cum omnibus, & singulis censuris, & penis, ac aliis quomodolibet contentis in illis (sublata tamen revelandi obligatione) tenore presentium perpetuo confirmamus, innovamus, & adversus quemcumque non usum, seu contrarium usum, qui quoquomodo prætendi posset, restituimus, & plenarie reintegramus. Ac in eisdem Constitutionibus casus, in quibus aliquid promittitur, datur, accipitur, vel deponitur pro Justitia, vel gratia, sive in spiritualibus, sive in temporalibus, & mixtis apud Sedem prædictam, & non solum ab ipso Romano Pontifice, verum etiam a quibuscumque ejus Ministris, Judicibus, & Officialibus, etiam Episcopis, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, & alia qualibet Ecclesiastica, vel mundana dignitate, & auctoritate præditis, & fulgentibus, aut ab aliis gratia, vel favore pollentibus etiam eidem Summo Pontifici Consanguinitatis, seu Affinitatis gradu quocumque conjunctis, seu attinentibus,

Confirmatio, & innovatio Constitutionum Bonif. & Gregor. & d. Alexand. motu proprio facta, sine tamen obligatione revelandi.

Excoisnet. & declaratio. nes circa omnes casus.

X x x

etiam

sub Annulo Piscatoris die 2. Maji 1656. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

Causa hujus Constitutionis.

§.7. Quamvis autem Constitutionis præfate tenorem ab omnibus Romane Curie Judicibus, & Ministris religiose servari publice per se pateat, Nobisque maxime compertum sit, & quamplurimis optimis, integrisque Advocatis, Procuratoribus, Agentibus, Expeditioribus, aliisque negotiorum Gestoribus, & Officialibus eadem Curia, miserante Domino, abundet; nihilominus ad evitandas fraudes, quæ quandoque eveniunt, eo quia fortasse aliqui turpis lucri gratia in Curia moram trahentes non cessant Curiam ipsam apud exteras gentes distamare, cum eorum Epistolis, notulis, seu listis, quas transmittunt Principalibus, seu Correspondentibus, in quibus petunt pecuniam pro muneribus dandis, vel assignant munera dedisse Ministris Gratia, vel Justitiæ, aliisque in dicta Constitutione Alexandri VII. contentis de nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum S.R.E. Cardinalium, & dilectorum filiorum Romane Curie Prælatorum, quibus id rei examinandum commissimus, consilio, hac Nostra perpetuo vailitura Constitutione, præinsertas Alexandri prædecessoris Literas cum omnibus, & singulis censuris, poenis, aliisque in eis contentis confirmamus, approbamus, & innovamus, ac adversus quemcumque non usum, seu contrarium usum, qui quoquo modo prætendi possit, restituimus, & plenarie reintegramus.

Confirmatio, & innovatio Constitutionis relate Alex. VII.

Extensio, & declarationes circa Curiales, & negotiorum Gestores, qui a suis Principalibus petunt aliquid pro gratia vel justitia.

§.8. Eademque Literas, & in eis contentas, quæcumque, etiam quoad censuras, & poenas, omnes, & singulos Agentes, Expeditores, Procuratores, cæterosque Curiales, negotiorum Gestores, aliasque personas tam Sæculares, & Ecclesiasticas, quam cujusvis Ordinis, & Instituti, etiam necessario exprimendi, Regulares ad Urbem missas, vel in ea existentes, & pro quibuscumque exteris, & forensibus cujuscumque status, & conditionis, & quacunque Dignitate etiam maxima, & majore fulgentibus etiam speciali, & individua nota digni sint, etiam Capitulis, & Religionibus suis justitiam, aut Gratiam procurantes, & Principalibus, seu Correspondentibus scribentes, aut notulas transmittentes, sive per Nuncium, aut alias quomodolibet etiam per interpositas personas significantes, aut insinuantes, se pro impetranda Justitia, vel Gratia, aut post earumdem impetrationem munera tradidisse, aut ea necessaria esse, sive animo revera munus dandi, sive assignandi, & simulandi id egerint, etiam sub prætextu redimenda vexationis omnino injustæ, & evidenter, etiam in casibus, in quibus Principalis rem possideat, aut quod salarium, seu honorarium ipsis datum, seu promissum, aut consuetum labori, ac diligentia in negotio adhibita minus respondeat, quodque Gratia, aut Justitia publicum Religionis, vel Ecclesie bonum respiciat, aut aliis quibuscumque prætextibus in eadem Alexandri Constitutione damnatis, atque rejechtis, vel forsitan in futurum pro exculatione allegandis, comprehendere, & ad casus etiam, in quibus pro gratia, vel Justitia apud quoscumque extra Romanam Curiam ab Apostolica Sede, vel ab Ordinariis ejusdem Romane Curie Judicibus, aut etiam Apostolicæ Sedis Nuntiis, Legatis etiam de Latere, & Prolegatis, specialiter delegatos obtinenda munera in Curia data,

vel necessaria esse pro comparandis favoribus apud eosdem delegatos, vel Literis commendatiis, etiam antequam post obtentam Gratiam, sive Justitiam, etiam sub quibuscumque modo licitis prætextibus quomodolibet dictum, scriptum, assertum, & insinuatum fuerit, extendi, & locum habere harum serie decernimus, & declaramus.

§.9. Contravenientes vero ultra excommunicationis eidem Sedi reservate, privationis cujuscumque Beneficii, & Officii Ecclesiastici, & Sæcularis, temporalis, sive perpetui, ac infamiae poenas in præiata Alexandri Constitutione contentas, etiam amissionis, seu extinctionis omnium, & singularum pensionum Ecclesiasticarum forsitan obtentorum, necnon falsi furti, & injuriarum Magistratui publico illatarum tam jure communi, quam Apostolicis Constitutionibus, & Bannimentis generalibus Status Nostri Ecclesiastici contentis poenis teneri, & tanquam veros fures, & falsarios, ac Magistratui injuriam inferentes puniri: Principales vero, & Correspondentes cujuscumque dignitatis, & conditionis, tam Sæculares, quam Ecclesiasticos, & cujusvis Ordinis, seu Instituti Regulares, etiam vigore quorumcumque privilegiorum specialiter nominandos, ubilibet existentes, & pecuniam solventes, transmittentes, aut solvi, & transmitti mandantes directe, vel indirecte ad effectum dandi munera, vel eorundem pretium pro Ministris Gratia, vel Justitiæ tam in Curia existentibus, quam extra Curiam, & supra delegatis, nullo ex superius rejechtis, vel alias forsitan sub quocumque qualitate colore in posterum allegandis prætextibus eos excusante, ultra poenas in dicta Alexandri Constitutione contentas, etiam nullitatis ipso jure Gratia, Decreti, Rescripti, vel sententiæ; imo & amissionis cause, crediti, vel juris, super quolibet agebatur, ac perpetua inhabilitatis ad quocumque Beneficia Ecclesiastica etiam de Jurepatronatus Laicorum, & ad alias quascumque Gratias a Sede præfata in posterum obtinendas, incurrere; imo, & in singulis prædictis casibus solum conatum ad earumdem poenarum incursum suscipere, etiam si pecunia transmissa non fuerint, sed tantum notulis, Epistolis, aut alias quomodolibet a Principalibus in Partibus petita vel ab iisdem Principalibus respective oblate, omnibus, qui rem adhuc incognitam, complicisque, fautores, & socios retulerint, impunitate concessa, statuimus, atque decernimus. Episcopus autem, Archiepiscopus, similisque personas poena dumtaxat in dicta Alexandri Constitutione specificata teneri volumus, & mandamus. Revelantibus vero, seu denunciantibus, dummodo indicia saltem ad torturam, vel ad transmittendam inquisitionem contra contumaces sufficientia subministraverint, ducentorum ducatorum auri de Camera premium ex eadem Camera nostra solvendum constituimus, & assignamus.

Adfectio poenarum in contravenientes, cum impunitate, & premio pro revelantibus.

§.10. Et ut in posterum facile apparere valeat, quinam sint illi, qui in talibus notulis, & listis excedunt, vel quocumque modo contraveniunt, volumus, & mandamus, ut quilibet, Agens, Expeditio negotiorum, Actor, Procurator, seu quilibet Curialis, aut quicumque alius, ut supra, ad Gratiam, vel Justitiam in Romana Curia impetrandam utcumque deputatus, etiam

Prædicti Curiales, & Gestores tenentur transmittere notulam unam expensarum ad Principales, & alteram tradere Notario, vel Officiali, sub certis poenis.

si Ecclesiasticus, Sæcularis, seu cujusvis Instituti etiam necessario exprimendi Regularis, notulas, seu listas omnium, & singularum expensarum, quousque eas Principalibus, seu Correspondentibus extra Curiam transmittet, teneatur propria manu subscribere; & nihilominus post Gratia, seu Cause per Sententiam, vel Decretum vim Sententiæ habens, aut per Rescriptum in quibuscumque Tribunalibus expeditionem, vel quancunque concordia, renunciatione, morte Principalis, aut alia quavis causa mediante, cessationem, exceptis dumtaxat negotiis, quæ in ejusdem Sanctæ R.E. Cardinalium, seu alius Congregationibus extra folium, ut vocant, perfici solent, integram omnium, & singularum expensarum, per se, vel per alios in toto negotii decursu factarum notulam, iis etiam repetitis, quæ in aliis notulis forsitan, ut supra transmissis continebantur, atque etiam summam certam pro honorariis sibi debitibus, necnon omnes pecunias a Principalibus, seu Correspondentibus eo usque habitas clare, & distincte iterum propria manu subscribere, & ad dictos Principales, seu Correspondentes transmittere, ejusque copiam integram, & uniformem intitulatam duplicatam notæ similis transmissæ in Partibus ad talem Principalem, seu Correspondentem pariter propria manu subscriptam intra tres menses a die expeditionis, seu sententiæ cessationis negotii computandos, Notario Cause, vel Officiali ad hunc effectum, in quibuscumque Gratia Tribunalibus specialiter deputando ipsa exhibere, & consignare, soluta eidem congrua mercede ratione laboris tantum per deputatam a Nobis Congregationem taxanda de pecuniis Principalium pro quorum indemnitate id agitur, ultra quam sub poenis infra scriptis nihil amplius accipere liceat, ipsi vero Notarii, & Officiales eandem copie, seu duplicati exhibitionem in peculiari libro adnotare, ac præfatas copias saltem per decennium conservare secreto, itaut nemini, nisi interesse habenti, vel denunciare intendenti, de expressa tamen Judicis, seu alterius Superioris, apud quem negotium actum fuit licentia ostendere, sub poenis etiam corporis afflictivis, eorundem Judicum, vel Superiorum arbitrio infligendis, omnino debeant, & teneantur. Quod si prædictæ personæ, ut supra specificatæ, notulam, seu listam a prædicta ab ipsis subscripta diversam, & disformem transmiserint ad Principales, vel Correspondentes, vel transmiserint listam, seu notulam ab ipsis non subscriptam, & in Epistola separata, vel per Nuncium, aut indirecte quocumque modo alias expensas, vel partitas addiderint, tunc si partite descripte in notula, seu Epistola separata sint confictæ, alterata, aut falsæ, vel contineant munera data, vel danda Ministris Justitiæ, vel Gratia, sive omnibus aliis personis expressis in dicta Constitutione Alexandri VII. ultra omnes alias poenas supra specificatas plecti debere tanquam veros fures, falsarios, & injuria officiales Magistratuum respective poenis furti, falsi, & similibus in jure, Constitutionibus Apostolicis, & Bannimentis Generalibus Status Nostri Ecclesiastici stabilitis contra veros fures, falsarios, & injuria afficientes Magistratum juxta qualitatem partite, vel summæ alterate, falsæ, vel confictæ: si autem partite sint vere, & non de prohibitis non tamen descripte in duplicato in Actis exhibito, ut supra, tunc tanquam contra-

venientes huic Constitutioni plecti posse poena arbitraria etiam corporis afflictiva, ultra amissionem crediti arbitrio Judicis, ut supra, ad quem effectum eandem notulas, seu listas, aut etiam Epistolas Reorum manu subscriptas pro plenis probationibus habendas esse, vel in eorum defectum probationes illas, quæ pro crimine Simonia evincendo de jure satis essent, sufficere statuimus, atque decernimus.

§.11. Itaque omnibus, & quibuscumque, quos ad Romanam Curiam deinceps pro Gratia vel Justitia consequenda recurrere ex qualibet Mundi parte contigerit, liberum erit in posterum, & expeditum fidelem exactamque omnium pecuniarum a se in præfatis negotiis impensarum, & impendendarum rationem mediantibus notulis, ut supra, præscriptis exigere, ac ubi in iis aliquid pro muneribus in præserta Alexandri Constitutione prohibitis adnotatum repererint certo se a suis Actoribus, seu Procuratoribus deceptos, & fraudatos agnoscere, adeoque a transmittendis pecuniis abstinere, sique se in præfatis notulis quovis modo gravatos prætenderint, apud Judicem, seu Ministrum Cause, vel Gratia, seu ad alium, quem maluerint ejusdem Romane Curie Judicem Ordinarium (qui etiam ex officio, & inquisitione procedent) etiam mediante Procuratore Nostro Fiscali Generali, suppressis Principalium nominibus agendi facultatem concedimus, instare pro Justitia consequenda, & prædictarum poenarum executione.

Facultas agendi in reos Curiales, & Gestores Principales, Notario, & Officiali prædicti concessa.

§.12. Decernentes præfatas Literas, & in eis contentas quæcumque, etiam ex eo, quod in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, illis non consentire, nec ad ea vocari, & audiri, seu cause, propter quas eadem præfatas emanarunt, sufficienter adductæ, verificatæ, aut justificatæ non fuerint, vel ex alia quantumvis legitima, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite etiam in corpore juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis, aut nullitatis, vel intentionis Nostre defectu, notari, impugnari, restringi, limitari, ad viam, seu terminos juris reduci, nec adversus illas quodcumque juris, facti, vel gratia remedium impetrari, seu etiam Motu proprio concessio quempiam in Judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse: sed ipsas præfatas Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, ac ab omnibus, & singulis prædictis, & aliis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, cujuscumque qualitatis, dignitatis, Ordinis, gradus, & conditionis extiterit, perpetuo, & inviolabiliter observari.

Clausula.

§.13. Sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales etiam de Latere-Legatos, necnon Curia, & Urbis præfatarum Judices, Officiales, & Ministros, & alios quoslibet quavis auctoritate, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si quid secus super his quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.14. Quocirca universis, & singulis Locorum Ordinariis per quæcumque Provincias, & Regna

Circa omnes actiones. etiam Laicis obtinenda in Alma Urbe, aut in alio quocumque loco, in quo dictam Curiam esse contigerit, comprehendere decernimus, & declaramus. Præterea Constitutiones hujusmodi non tantum in actionibus jure naturali, & divino prohibitis, quia male sunt, sed etiam in aliis, quæ ideo male sunt, quia jure humano, & prædictis Apostolicis Constitutionibus, ac præsentis Nostræ interduntur, locum habere. Necnon Mediatores, sive immediatos quotquot, & quicumque sint, & quavis dignitate, præeminentia, auctoritate, favore, consanguinitate, atque affinitate, ut præmissum est, poleant, & præfulgeant. Ac etiam promissiones, seu verba promissoria, dationes, & receptiones factas ob bonum finem comprehendere, nec earum dispositionem, ac penas evitari posse in casibus, in quibus cesset suspicio mali. Deinde illos etiam comprehendere, qui pro aliorum Justitia, vel Gratia quomodolibet impedienda, vel differenda aliquid dant, & recipiunt, vel deponunt, promittunt, seu pollicentur, unde aliis damnum, vexatio, vel molestia quomodocumque inferri, & resultare possit, & meditatores quoscumque immediatos, sive mediatos. Insuper quæcumque verba, seu signa etiam æquivoca quovis modo apta inducere quancumque obligationem justitiæ, aut fidelitatis in principali, seu etiam sub titulo remunerationis, vel gratitudinis a Constitutionibus prædictis prohiberi. Quinimo non licere quicquam promittere, dare, vel accipere quibuscumque Judicibus, Ministris, Officialibus, & aliis auctoritatem, aut potestatem habentibus, nec quibuscumque mediatoribus pro defensione Juris quæsitæ, sive executione quærendi, etiam, ad redimendam injustam vexationem, Motu scientia, deliberatione, potestatis plenitudine, & tenore prædictis decernimus pariter, & declaramus. Ad hæc dationes, promissiones & acceptationes pro guberniis, vel aliis quibuscumque Officiis, & muneribus etiam minoribus obtinendis, sive pro unica vice, sive in singulos annos, aut menses, vel aliter quomodocumque a Constitutionibus prædictis interdicti; neque Judicibus, Ministris, ac Officialibus pro Gratia, vel Justitia obtinenda, etiam in his, quæ dependent ab eorum arbitrio, & ad quæ obligationes Justitiæ non tenentur, quicquam dare, aut promittere, nec ipsis accipere licere: Neque etiam permissum esse Officialibus, vel Ministris dicte Sedis in provisionibus, seu earum occasione quorumcumque Officiorum etiam jurisdictionem, vel ejus exercitium annexum non habentium, imponere pensionem ullam, responsonem, præstationem, vel onus, seu partem aliquam commodi, vel emolumenti ad sui vel alicujus alterius cujuscumque favorem reservare absque expressa, & speciali in singulis casibus Nostra, & Romani Pontificis pro tempore existentis licentia in scriptis in singulis casibus ab utraque parte obtinenda. Insuper exigentes a partibus, vel aliis interesse habentibus, seu Agentibus, ac mediatoribus quibuscumque pollicitationes, promissiones, pacta, vel recipientes aliquid sub asseritione, quod Judicibus, Ministrorum, Officialium, aut Magnatum, seu aliorum quorumcumque operam, auctoritatem, vel Officia, pretio, vel muneribus, aut promissionibus hujusmodi comparaverint, seu quæserint. Necnon pollicitantes, promittentes, offerentes, ac

Circa omnes actiones.

Circa mediatores.

Circa bonum finem.

Circa impedimenta, & Dilaciones.

Circa verba, & signa.

Circa defensionem, & executionem.

Circa Officia & arbitraria.

Circa impositiones.

Circa compensationes.

Circa non accepta, & tradita.

trudere tentantes, licet pollicitatio, promissio, & oblatio non fuerint acceptata, neque traditio secuta, nullumque habuerint effectum. Ac etiam illos, qui ex eo, quod gratias, & favores ipsi ob familiaritatem, obsequia, ac servitia propriis Dominis, vel aliis præstita debitos, seu ab ipsis speratos in aliorum cum propria ejusmodi juris, vel spei jactura commodum, & beneficium transferunt, convertunt, & impendunt, pro Gratia, seu Justitia pro eis obtinenda, aliquid recipiunt, sub memoratis Constitutionibus contineri, illarumque poenis, & censuris subjectos esse. Pro actuali vero labore circa expeditionem impetratorum non licere Officialibus, Curialibus, & aliis quibuscumque recipere, nec illis polliceri, promittere, vel cum eis pacifici, nisi mercedem labori convenientem. Judicibus autem, Officialibus, & Ministris quibuscumque, quibus incumbit expeditio gratiæ, vel Justitiæ, minime permitti quidquam recipere, neque illis polliceri, promittere, vel cum eis pacifici ultra taxas præscriptas etiam ratione celerioris, aut facilioris expeditionis. Quin etiam illicitum esse quidquam magnum, vel parvum Judicibus, ac Ministris quibuslibet offerre, promittere, pacifici, seu polliceri, dare, vel ipsis recipere mediate, vel immediate etiam quod eorum animum movere non possint, pro Gratia, vel Justitia obtinenda. Demum supradictarum Constitutionum dispositionem, censuras, & penas non censei abolitas, vel sublatas ob scientiam, patientiam, seu tolerantiam Romani Pontificis per quemcumque etiam longissimi temporis cursum, nisi speciali licentia, vel Indulto in unoquoque casu a singulis partibus in scriptis particulariter obtinendo fuerint expresse remissæ, Motu scientia, deliberatione, potestatis plenitudine, & tenore paribus decernimus, statuimus, & declaramus. Præfataque Constitutiones, ac censuras, & penas in eis contentas ad omnes, & singulos casus supra expressos, quatenus opus sit, extendimus, & ampliamus.

§.5. Præterea eisdem Bonifacii, & Gregorii prædecessorum Constitutiones per alteram pie mem. Clementis Papæ VIII. prædecessoris pariter Nostræ, quæ incipit: *Pro commissa*, Anno incarnationis Dominicæ 1592. decimo octavo Kalend. Septemb. editam ad cæteras Ditionis temporalis S.R.E. Civitates, & Loca immediate subiecta (præterquam quoad bona Communitatum) minime extensas fuisse, neque per hanc Nostram extendi, sed eos quidem omnino comprehendere, qui in aliis locis ejusdem Status Ecclesiastici, & cujusvis alterius partis Mundi existentes pollicentur, promittunt, paciscuntur, mittunt, vel dari faciunt per Literas, vel mediatores, vel aliter quomodocumque, & qui ab eis recipiunt contra dictarum Constitutionum dispositionem quidquam magnum, vel parvum pro Justitia, vel Gratia apud Sedem prædictam obtinenda, declaramus pariter, & statuimus. Postremo tamen credamus, & speramus in Domino nunquam eventurum, ut aliquis ex Venerabilibus Fratribus Nostris Episcopis, Archiepiscopis, Metropolitanis, Primatibus, Patriarchis, aut in quacumque alia etiam Superiori Ecclesiastica quantumvis sublimi, & speciali nota digna constitutis dignitate in præmissis quomodolibet delinquat: quia tamen diligentiam Nostram in removendis ab eadem Curia abusus quibuslibet abun-

Circa favores debitos.

Circa labores.

Circa expeditiones.

Circa res inefficaces.

Circa abolitionem, ablationem, & extensionem prædictarum Constitutionum.

Circa loca S. Sedi subiecta.

Circa quoscumque prælatos.

abundare potius, quam in aliquo deficere volumus. etiam Episcopos, Archiepiscopos, Metropolitanos, Primates, ac Patriarchas, ceterosque in quacumque alia etiam prædictis superiori, ac quantumvis sublimi, & speciali nota digna constitutis dignitate, etiam per Nostras, & Cancellariæ Nostræ Apostolicæ regulas cautum sit, quod illi Constitutionibus per nos editis, & edendis non comprehendantur, nec comprehensi censeantur, nisi in eisdem Constitutionibus facta fuerit ipsorum expressa mentio, in prædictis Constitutionibus, ut præmittitur declaratis, & extensis, ac in præsentis Nostræ quoad censuras comprehendendi, motu, scientia, deliberatione, potestatis plenitudine, & tenore similibus statuimus. Porro xenia solita, esculenta, & poculenta, quæ Judicibus, Ministris, & Officialibus Romanæ Curie exhiberi consueverunt, præfatis prædecessorum Nostrorum Literis, ac præsentibus Nostris minime prohibita fuisse, nec prohiberi decernimus.

§.6. Declarantes per præsentem Nostram Constitutionem non censei abrogatam Constitutionem similis record. Pii Papæ V. etiam prædecessoris Nostræ contra ambientes Dignitates, & Officia Jurisdictionis administrationem habentia, eaque pretio, seu promissione procurantes, quæ incipit: *Esse Romani* etc. Nonis Decembris, Anno sexto ejus Pontificatus emanatam, sed illam, ac cæteras ipsius Pii prædecessoris, & aliorum Romanorum Pontificum prædecessorum Nostrorum quorumcumque Constitutiones, Ordinationes, Canones, & Decreta in hac materia, vel circa eam hætenus edita, ac Nostram, & Cancellariæ Apostolicæ Regulam 67., qua statuimus, ut Officiales Romanæ Curie prædictæ nihil exigant, ultra debitum, in suo robore remanere. Ac Decernentes præfatas Literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod prædicti, & alii quilibet, etiam speciali nota, & expressione digni in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, auditi, seu cause propter quas eadem præfates emanarunt, adductæ, verificate, aut justificatæ ullatenus fuerint; vel ex alia quacumque, quantumvis iusta, legitima, juridica, & privilegiata causa, colore, prætextu, occasione, & capite etiam in corpore juris clauso nullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis Nostræ, seu interesse habentium, & aliorum quorumcumque consensu defectu, notari, impugnari, invalidari, restringi, limitari, vel ad viam, seu terminos juris reduci, in jus, vel controverfiam revocari, aut adversus illas quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, seu etiam Motu simili concessio, quempiam in Judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse, neque ipsas præfates sub quibusvis similibus, vel dissimilium Constitutionum, declarationum, & extensionum revocationibus, limitationibus, suspensionibus, seu aliis contrariis dispositionibus unquam comprehendi, aut comprehensas censei, sed semper ab illis exceptas, & quoties ille emanabunt toties in pristinum, & validissimum statum restitutas, & plenarie reintegratas esse, & censei, firmasque, validas, & efficaces existere, & fore, ac ab omnibus, & singulis prædictis, & aliis, ad quos spectat, & pro tempore quando-

Circa esculenta, & poculenta.

Circa alias Constitutiones, & Decreta super eadem, vel similibus.

Clausula.

cumque spectabit cujuscumque qualitatis, dignitatis, Ordinis, gradus, & conditionis fuerint, perpetuo inviolabiliter, & inconcusse observari. Sicque, & non aliter in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegates, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales etiam de Latere-Legatos, necnon Curie, & Urbis præfatarum, Judices, Officiales, & Ministros, & alios quoscumque quavis auctoritate, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiti debere; ac irritum, & inane, si quid fecerit super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus de jure quæsitæ non tollendo, & quod Cardinales non comprehendantur sub regulis, & Constitutionibus editis, & edendis, nisi eisdem facta fuerit ipsorum expressa mentio, ac ceteris Nostris, & Cancellariæ præfate Regulis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, etiam Conciliaribus, necnon earumdem Urbis, & Curie, ac illarum Tribunalium quorumvis, & aliis quibuslibet, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, statuta, usibus, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, Indultis, Motuum propriorum Cædulis, Chirographis quorumcumque Romanorum Pontificum prædecessorum Nostrorum manu subscriptis, & Literis Apostolicis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, & aliis efficacioribus, & insolitis clausulis, & Decretis etiam irritantibus in genere, vel in specie, etiam motu simili, consistorialiter, ac alias quomodolibet in contrariam præmissorum concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio faciendæ, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum formas, & occasiones, ac alia etiam speciali expressione digna præfatis pro plene, & sufficienter expressis, insertis, & servatis respectu habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque. Ut autem eadem præfates Literæ omnibus innotescant, & nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus, ut illæ, seu earum exemplum ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, ac Datarie Nostræ, Cancellariæ prædictæ, necnon in acie Campi Floræ de eadem Urbe per aliquem ex Curforibus Nostris, prout moris est, publicentur, & affigantur, quæ sic publicatæ, & affixæ omnes, & singulos perinde afficiant, ac si illis personaliter intimatæ fuissent. Quodque illarum transumptis, etiam impressis manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem pro suis fides in Judicio, & extra illud adhibeatur, quæ ipsis præfatis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem

Regna Christiani Orbis constitutis, & quibusvis Nostris, & Sedis Apostolicæ etiam de Latere. Legatis, ac Vicelegatis præcipimus, & mandamus, ut in suis quibusvis Civitatibus, Diocæsiibus, Provinciis, & Locis præsentem Nostram Constitutionem publicari, & inviolate observari curent, & adversus contravenientes, sive Clericos, sive Laicos quacunquæ Dignitate fulgentes tanquam injuriantes, & infamantes Curiam Ecclesiasticam Romani Pontificis, sive etiam Capitulares, servata forma a Concilio Tridentino præscripta, immo etiam cujusvis Ordinis, aut Instituti etiam necessario exprimendi Regulares, aut alias quomodolibet exemptos, & contra Abbates, sive alios quoscumque Prelatos, quasi Episcopalia habentes cum territorio separato, ii, qui viciniore fuerint, tanquam Nostris, & Sedis Apostolicæ in hac parte specialiter delegati per viam accusationis, vel denunciationis, aut inquisitionis, & ex mero officio, prout eis videbitur, procedant, eosque culpabiles repositos condignis pœnis, ut supra afficiant, invocato etiam, si opus fuerit, auxilio Brachii Sacularis.

§.15. Non obstantibus de Jure quæsto non tollendo, ac cæteris Nostris, & Cancellariæ Regulis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, etiam conciliaribus, necnon eorumdem Urbis, & Curie, eorumque Tribunalium, & aliis quibuslibet, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis, statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, Indultis, ac Literis Apostolicis, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, & aliis efficacioribus, & insolitis clausulis, & Decretis etiam irritantibus, in genere, vel in specie, etiam motu simili, & consistorialiter, & alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio facienda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, formas, & occasiones, ac alia etiam speciali expressione digna præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, insertis, & servatis respectu habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, ac derogatum esse volumus cæterisque contrariis quibuscumque.

§.16. Ut autem, præsentibus Literæ omnibus innotescant, & nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus, ut illæ, seu earum exemplum ad Valvas Basilicæ Principis Apostolorum, ac Datarie Nostræ, Curie Generali, & Cancellariæ prædictæ, necnon in Acie Campi Floræ de eadem Urbe per aliquem ex Curforibus Nostris, prout moris est, publicentur, & affigantur, quæ sic publicatæ, & affixæ omnes, & singulos perinde afficiant, ac si illis personaliter intimatæ essent. Quodque illarum transcriptis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in Judicio, & extra illud adhibeatur, quæ ipsis præ-

sentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

§.17. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostræ confirmationis, approbationis, innovationis, restitutionis, reintegrationis, Decretorum, declarationis, Statutorum, voluntatum, mandatorum, constitutionis, assignationis, præcepti, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majoram Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo. Tertio Kalendas Februarii, Pontificatus Nostri Anno Nono.

CXCI.

Confirmantur quedam Decreta Capituli Generalis Congregationis Reformatæ S. Bernardi Ordinis Cisterciensis.

Dat. 17. Febr. 1709. An. 9.

De facultate Capituli Gen. vide Clem. VIII. Const. ed. 1595. Et Clem. XI. Const. ed. 1710. Sep. 25. P. 10. extant quedam Decreta super recitatione Officiorum.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Monachi vocales nuperi Capituli Generalis Congregationis Reformatæ Sancti Bernardi Ordinis Cisterciensis die 11. Maji anni proxime præteriti 1699. in Monasterio Sanctæ Pudentianæ de Urbe dicte Congregationis celebrati, quod cum alias multe additiones ad Constitutiones ejusdem Congregationis juxta facultates, & ad præscriptum quarumdem felix Clementis PP. VIII. Prædecessoris Nostri literarum in simili forma Brevis anno 1595. expeditarum, per quas dicte Constitutiones confirmatæ fuerant, a diversis anterioribus Congregationis præfate Capitulis generalibus factæ fuerint, novissime in nupero Capitulo generali supradicto pro majori ejusdem Congregationis bono, & utilitate, edita fuerant nonnulla Decreta in novem Articulis distincta, tenoris, qui sequitur, videlicet.

Capituli Generalis an. 1699.

§.1. Decreta confecta in Capitulo generali Monachorum Reformatorum Sancti Bernardi Ordinis Cisterciensis celebrato in Monasterio Sanctæ Pudentianæ de Urbe die 11. Mensis Maji 1699. Primo Superior Localis præcipue in parvis Monasteriis possit subditos reuentes obligare sub præcepto Sanctæ Obedientiæ ad exercenda officia ab ipso imposta, quando nulla adeest in contrarium rationabilis causa, servata tamen forma Constitutionum circa hunc præcipiendi modum. Secundo Conversi, & Donati sive solemniter, sive simpliciter professi, diebus Dominicis, & festis, quibus vacatur, convenient ad omnes horas Canonicas &c. ut in Constitutionibus Cap. 13. n. 5. pag. 96. Tertio. Cum unius triennii spatium nimis breve sit ad omnes Theologicos Tractatus habendos, indeque fiat, ut ad animarum, tum Nostrarum, ac aliorum instructionem utiliores Tractatus prætermittantur: In posterum, qui Sacræ Theologiæ Scho-

Decretis

De auctoritate Superioris.

De Donatis.

De Lectoribus, & Studentibus.

lasti.

lasticæ Lectores deputati fuerint per quadriennium saltem idem munus prosequantur, quo tempore teneantur studentes sibi commissos edocere omnes tractatus distributos, ut infra: Anno Primo de Deo uno, & Trino, Anno 2. de Angelis, de Beatitudine, & de actibus humanis. Tertio Tractatus de vitiis, & peccatis, de Divina gratia, & de virtutibus Theologicis, Anno Quarto de Incarnatione, de Sacramentis in genere, de Sacrosancta Eucharistia, & de Poenitentia; Lectores autem Theologiæ moralis unico triennio integrum Theologiæ moralis cursum conficiant, & præter hujus quotidianam lectionem, habeant etiam lectionem Sacræ Scripturæ bis, vel ter in hebdomada, horis tamen stabilendis a Superiore locali, quibus Lectoribus sedulo munus suum exequentibus omnia conceduntur privilegia, quibus alii Lectores fruuntur. Præcipimus insuper Lectoribus, ut animarum, potius utilitati consulentes, quam ingenii ostentationi studentes eas sententias edocant, quæ communiore, & probabiliore sunt, quod si quacumque de causa, qui in studii principio deputatus fuerit Lector, munus suum profectus non fuerit: tunc Lector subrogatus Tractatus non dum traditos edoceat, ita ut nunquam initium fiat a primo Tractatu de Deo quin omnes supradicti Tractatus fuerint expleti; studentes vero Lectoribus suis omni humilitate, & charitate obsequantur: Si quis vero e studentibus cum Lectore suo verbis procaicibus sive in studio, sive foris altercare, aut in eundem aliquid moliri, vel eidem detrudere ausus fuerit, is præter congruam satisfactionem eidem dandam pro prima, & secunda vice poena gravi multetur; si vero tertio in idem incidit, multetur poena graviore, & a studio removeatur; Injungimus etiam Superioribus Monasteriorum studii deputatorum, ne studentibus aliquod munus mandent, quod eidem vagationis, aut distractionis a studio causam præbeat, sed omnino invigilent, ut totaliter studio, cui deputati sunt, incumbant: Item quantum fieri poterit conferentis, quæ per hebdomadam sunt, assistere satagant, & sepe inopinatum dum lectio repetitur, aut argumentum sit, in studium se conferant: præcipue in disputationibus, & conferentiis hebdomadariis, & mensalibus, & conferentiis hebdomadariis, & mensalibus, quæ omnino fieri debent: Sic etiam melius negligentes corrigant, & castigabunt, & diligentibus animam adjicient: Studentes tandem quotidianæ recreationis tempore omnes in unum convenient circum, & de suis lectionibus disserant, disputent, & argumententur. Non autem solum Superiores Locales, sed etiam Visitatores Provinciales invigilent super his, & alii in Rituali contentis legibus observandis, & transgressores omnino corrigant, & castigent; Lectores vero Philosophiæ teneantur Triennalis studii tempore etiam Ethicam edocere. Quarto Abbas Generalis ab officio absolutus toto tempore, quo a Superioritate vacabit, titulo Abbatis semper gaudebit, subditus nihilominus Priori suo Capitulum culparum non adhibet, nec publicis correctionibus subiacet, sed si corrigendus sit, id summa reverentia a Superiore privatim fiet. Ab officiis regularibus, quæ vel per hebdomadam, vel alio modo immunitis sunt, & ubique locorum post Superiorem localem immediate cæteros omnes, etiam Superiores præcedat, Sigillum peculiare

ad firmandas Epistolas hujusmodi Abbati Titulari conceditur Localium Superiorum Sigillo simile, addita tamen in ejus summitate sola mitra. & cum hac inscriptione: *Sigillum Abbatis Titularis* = Ejus porro Epistole non videantur, nec aperiantur, nisi ab ipsis, ad quos mittantur. Duo Abbates hoc modo Titulares in eodem Monasterio non commorentur, nec eidem nisi ab ipso Abbate Generali, aut de ejusdem consensu Monasteria assignentur. Si tamen ipsi ita petierint, concessum sit Visitatoribus Provincialibus, ut alio transigendi potestatem esse faciant. Quinto reimprimendæ sunt Regule Officialium, Nostrum Rituale, & Forma Visitationis cum correctionibus in hoc Capitulo Generali approbatis. Sexto pro celebratione Officiorum servetur Tabella confecta circa distributionem horarum juxta Constitutiones, cum facultate tamen Abbati Generali, & Visitatoribus Provincialibus super ea dispensandi in aliquibus Monasteriis juxta illorum indigentiam. Septimo Visitatores tum Generales, tum Provinciales in sua visitatione statum omnium rerum tum Spiritualium, tam temporalium cujuscumque Monasterii perscrutentur juxta formam descriptam. Præcipimus tamen ipsis Visitatoribus, ne Monasterium residentie Abbatis Generalis sine ejusdem participatione visitent, nec ipso inconsulto, quaslibet promulgent Ordinationes, aut Cellam Secretarii præfati Abbatis Generalis visitent. Octavo Superiores locales teneantur singulis mensibus concedere suis Monachis prandium, seu cenam in aula hospitum, ut aliquantisper ab asperitatibus jejuniorum, aliisque regularis vite oneribus allevientur. Nono Abbas Generalis imprimere faciat hoc Triennio Constitutiones revisas, & a Capitulo Generali approbatas, & pro expensis committit eidem Abbati Generali, ut una cum Consiliariis suis taxam determinet, & si expensæ nimie non fuerint, possit etiam cum suis Consiliariis taxam statuere pro rituali, & Regulis officialium cum forma Visitationis imprimendis.

De quibuslibet libris.

De celebratione Officiorum.

De Visitatoribus.

De Superiori charitate.

De impressione Constitutionum.

Preces Vocantium, & cause Confirmationis.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, Decreta præfata vim Constitutionum habere non possint, nisi illis alterius securi memoratæ Congregationis Capitulis Generalis confirmatio accedat, & propterea dicti Exponentes Decreta hujusmodi, quo eadem confirmatione minime expectata, non secus, ac Constitutiones ipsæ inviolabiliter observentur, præsertim quia illorum postremo disponitur, ut Constitutiones præfate novis typis quamprimum mandari debeant, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desiderent: Nos ipsorum Exponentium votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinatis, de Venerabilium Fratrum Nostrarum, S.R.E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio Decreta præinserta auctoritate Apostolica

Confirmatio relocatori Decretorum.

lica

De Abbate Titulari.

lica tenore presentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolica firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos Juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus; Ita tamen, ut hujusmodi approbatio neque implicite, neque explicite extendi valeat ad alia, quam ad ea, quae per extensum superius exhibita, & inserta leguntur, ac salva semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Clausula.

§.3. Decernentes easdem praesentes literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Caesarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiti debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.4. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Congregationis Reformatae, & Ordinis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, & Consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis: Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§.5. Volumus autem, ut earumdem presentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibita, vel ostensa.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscat. die XVII. Februarii MDCC. Pontificatus Nostri Anno Nono.

CXCII.

Dat. 6. Martii 1700. An. 9.

Conceditur Indulgentia pleniper modum suffragii in die Communionis generalis a PP. Jesuitis fieri solita semel in Mense Christifidelibus Regni Angliae.

Alia Indulgentia extant Alex. VIII. Const. ed. 1690, Mar. 30, P. 1. Et Bened. XIII. Const. ed. 1726, Sep. 23, P. 3.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Concessa fuit praed. Ind. Ig. in aliqua Mense Domini ca pro omnibus locis.

Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius modernus Provincialis Provinciae Angliae Societatis Jesu, quod alias omnibus utriusque Sexus Christifidelibus vere poenitentibus, & confessis, qui aliquam dictae Societatis, vel quam-

cumque aliam Saecularem Ecclesiam ubicumque existentem una ex Dominicis cujuslibet mensis, qua Communio generalis sollicitudine dilectorum filiorum Clericorum Regularium ejusdem Societatis, & quo ad Ecclesias saeculares de licentia Ordinariorum locorum, illarumque Rectorum consensu ibidem ageretur, devote visitasset, & iisdem Dominicis in aliqua ex praedictis Ecclesiis Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, ibique pro Christianorum Principum concordia, haesum extirpatione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effudissent, plenaria omnium peccatorum suorum Indulgentia, & remissio, quam animabus Fidelium Defunctorum, quae Deo in charitate conjunctae ab hac luce migravissent, per modum suffragii applicare possent, auctoritate Apostolica concessa reperitur, & alias prout in Apostolicis desuper in simili forma Brevis exeditis literis, quarum tenore praesentibus pro plene, & sufficienter expresso, ac ad verbum inserto uberius asserit contineri.

Causa hujus Concessionis, & preces Provincialis.

§.1. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat plures Societatis hujusmodi Presbyteri per diversas Catholicorum in Regno Angliae degentium Domos, ad hoc ut eos consularum ministrando illis Sacramenta, verbum Dei praedicando, ac in via salutis dirigendo, clam tamen, propter severissimas Regni praedicti leges id vetantes, mitti consueverint; verum multi ex iisdem Christifidelibus inter se habitatione distent, nec ad omnes Presbyteri praefati iisdem diebus Dominicis accedere valeant, ac propterea idem Provincialis opportune in praemissis a Nobis provideri summopere desideret: Nos piis ipsius Provincialis votis hac in re quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus utriusque Sexus Christifidelibus nunc, & pro tempore in dicto Regno Angliae commorantibus, qui quocumque die, quo eis id commodum fuerit cura, & opera Presbyterorum dictae Societatis in eodem Regno pro tempore Missionariorum, semel dumtaxat quolibet Mense, in aliqua Ecclesia seu Oratorio Regni praefati ubi Missa licite celebratur, idem Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, ibique sicut praemittitur oraverint, ut supradictam plenariam Indulgentiam, & remissionem, quam pariter Animabus Fidelium Defunctorum applicare possint lucrentur in omnibus, & per omnia perinde ac si praemissa in una ex Dominicis praefatis juxta dictarum literarum praescriptum peregerint, servata tamen in reliquis earumdem literarum forma, & dispositione, Apostolica auctoritate tenore praesentium, concedimus, & indulgemus.

Concessio eisdem Indulgentiam quocumque alio Mense die.

§.2. Non obstantibus quatenus opus sit, Nostri Cancellariae Apostolicae Regula de non concedendis Indulgentiis ad instar, ac aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Clausula.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscat. die VI. Martii MDCC. Pontificatus Nostri Anno Nono.

CXCIII.

Confirmatur Decretum Congreg. Rituum circa primatum pro Provincia S. Didaci FF. Min. de Ob-

Dat. 1. April. 1700. An. 9.

de Observ. Discalc. contra FF. Augustinianos in Regno Mexicano.

A Clem. X. Const. ed. 1676, Jun. 3. confirmatum fuit simile Decretum. De primatu inter Min. de Observ. & Conventuales vide Iur. XI. Const. ed. 1684. Apr. 14, P. 3. Et Clem. XI. Const. ed. 1702, Nov. 24, P. 2 confirmatur praesens Constitutio.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Decretum circa primatum in actibus tam publicis, quam privatis an. 1700. editum.

Manavit nuper a Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S.R.E. Cardinalium Sacris Ritibus praepositorum ad favorem dilectorum filiorum Fratrum Provinciae S. Didaci novae Hispaniae in Indis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia Discalceatorum nuncupatorum Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet: Mexicana praecedentiae Remissa ad Auditor. Sanctissimi Domini Nostri Innocentii PP. XII. ad Sac. Rituum Congregationem Causa Praecedentiae inter Patres Discalceatos strictioris observantiae Sancti Francisci Provinciae S. Didaci ex una, & Patres Augustinianos Provinciae Sanctissimi Nominis Jesu ex altera partibus in Regno Mexicano ultimo loco agitata super executione Decretorum ejusdem Sacrae Congregationis diversis temporibus ad favorem eorumdem Patrum Discalceatorum Sancti Francisci alias editorum, & signanter lati sub die 3 Junii 1676., & per literas in forma Brevis Datas 19 Junii ejusdem anni sa. me. Clementis PP. X. approbati, & confirmati; Propositoque ab Emo, & Rmo D. Cardinale Petruccio in eadem Sac. Rituum Congregatione infra scripto Dubio, videlicet: An Fratres Discalceatis strictioris Observantiae Ordinis Sancti Francisci non solum in Processionibus solitis, & sub propria Cruce, sed etiam in Concionibus, Disputationibus, Concurrentia Praelatorum, aliisque actibus tam publicis, quam privatis interveniente, vel non interveniente Familia de observantia, competat Praecedentia supra Fratres Sancti Augustini. Sacra eadem Rituum Congregatio, tam in voce, quam in scriptis partibus acerrime informantibus auditis, respondit. In casu, de quo agitur, Praecedentiam competere Patribus Discalceatis Sancti Francisci, ac amplius Dubium proponi vetuit. Et ita decrevit, & servari, ac exequi mandavit die 13. Martii 1700. A Cardinalis Cybo B. In Chiramus Sec.

Preces Procuratoris Provinciae.

§.1. Cum autem sicut dilectus pariter filius Josephus Montoro praedicti Ordinis Fratrum Discalceatorum Professor Provinciae S. Didaci Custos, & Procurator Nobis subinde exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi, quo firmus subsistat, & servetur exactius, Apostolica confirmationis nostrae patrocinio communiti plurimum desideret: Nos ipsos Josephum Custodem, & Procuratorem specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus No-

mine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum praesertim, auctoritate Apostolica, tenore praesentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolica firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in praemissis auctoritate praefatae Congregationis Cardinalium.

Confirmatio relati Decreti.

§.2. Decernentes easdem praesentes Literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, amplissime suffragari: Sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Caesarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiti debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula.

§.3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscat. die IV. Aprilis MDCC. Pontificatus Nostri Anno Nono.

CXCIV.

Declaratur facultas eligendi Confessarium ab Ordinario approbatum in Bulla Cruciatiae concessa, cum damnatione opinionis contrariae.

Dat. 19. April. 1700. An. 9.

Hac de re vide Clem. X. Const. ed. 1670, Jun. 11, P. 1. Item hujus Pontificis Constitutio. edit. 1698, Sep. 6, P. 8.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cum, sicut non sine gravi animi Nostri dolore ex nonnullorum Venerabilium Fratrum Episcoporum Regni Portugalliae, & aliorum timoratae conscientiae Virorum delatis ad Nos querelis accepimus, in Regno praefato reverit, ac in dies magis invalescat opinio per quamdam fel. rec. Pauli V., Urbani VIII., & Clementis X. Romanorum Pontificum Praecedentium Nostrorum Constitutiones, necnon plura Congregationum tunc existentium S.R.E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, ac respective negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium praepositorum Decreta dudum damnata, ac reprobata, qua innixi plerique illarum partium Privilegia, & Indulta per Literas Apostolicas pro Cruciatia Sancta emanatas, seu, ut vocant, Bullam Cruciatiae, ita intelligenda esse existimant, ut facultas in Literis, seu Bulla hujusmodi Christifidelibus attributa consistendi peccata sua cuilibet Confessario per quemcumque Ordinarium ad Confessiones audiendas approbato, locum habeat, & habere censetur, etiam si non fuerit Ordinarius loci, in quo confessiones praefatas excipi contigerit: Hinc est, quod Nos ex debito Pastoralis Officii, quod humilitati nostrae meritis licet, & viribus longe impari commisit Divina dignatio, animarum periculis in re tanti momenti, qualis est sacramentalis confessio, quantum nobis ex alto conceditur, paternam

Causa hujus Constitutionis.

Y y

charitate occurrere cupientes, necnon Constitutionibus, & Decretis supradictis inherentes, de Venerabilium Fratrum Nostrorum ejusdem S.R.E. Cardinalium, primum quidem supradictis negotiis, & consultationibus Episcoporum & Regularium prepositorum, subinde vero etiam aliorum in tota Republica Christiana contra hereticam pravitatem Generalium Inquisitionum a Sede Apostolica specialiter deputatorum, qui opinionem prefatam ex integro examinarunt, remque totam mature discusserrunt, consilio, ac etiam motu proprio, & ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolice potestatis plenitudine tenore presentium decernimus, & declaramus, Bullam Cruciate Sancte nihil novi Juris induxisse, nullumque privilegium continere quoad approbationem Confessariorum contra formam ejusdem Concilii Tridentini, & predictarum Constitutionum Apostolicarum, adeo ut Confessarii tam Seculares, quam Regulares quicumque illi sint, in vim dictae Bullae Cruciate a Poenitentibus ad audiendas eorum Sacramentales Confessiones electi, nullatenus confessiones hujusmodi audire valeant sine approbatione Ordinarii, & Episcopi Dioeceseos Loci, in quo ipsi Poenitentes degunt, & Confessarios eligunt, vel ad excipiendas Confessiones requirunt, nec ad hoc suffragari approbationem semel, vel pluries ab aliis Ordinariis aliorum locorum, & Dioeceseos obtentam, etiam si Poenitentes illorum Ordinarios, qui Confessarios electos approbassent, subditi forent: Confessiones autem aliter, & contra earumdem presentium, aliarumque Apostolicarum Constitutionum formam deinceps faciendas, & excipiendas respective, praeterquam in casu necessitatis in mortis articulo nullas fore, irritas, & invalidas, & Confessarios ipso jure suspensos esse, & etiam rigide puniendos ab ipsis Ordinariis Locorum. Porro quaecumque contrariam opinionem, tanquam falsam, temerariam, scandalosam, & in praxi perniciosam, praeterea quovis contrario usu, contrariaque consuetudine, etiam antiquissima minime obstantibus, Motu, scientia, & deliberatione, & potestatis plenitudine paribus harum serie damnamus, & reprobamus, contrariumque usum, ac contrariam consuetudinem hujusmodi penitus, & omnino abrogamus, & abolemus.

§.1. Ac proinde omnibus, & singulis Christianis cujuscumque status, gradus, conditionis, & dignitatis existant, etiam specifica, & individua mentione, & expressione dignis, ne supradictam opinionem docere, tueri, aut ad praxim deducere quovis modo audeant, seu praesumant sub poena excommunicationis per contrafacientes ipso facto absque alia declaratione incurrenda, a qua nemo a quoquam praeterquam a Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente, nisi in mortis articulo hujusmodi constitutus absolutionis beneficium obtinere valeat interdicimus, & prohibemus.

§.2. Decernentes etiam easdem presentes literas, & in eis contenta quaecumque etiam ex eo, quod in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, cujuscumque status, gradus, ordinis, praeminentiae, & dignitatis existant, seu alias specifica, & individua mentione, & expressione digni, illis non consen-

serint, seu ad ea vocati, citati, auditi, & causa propter quas praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificate, & justificatae non fuerint, aut ex alia qualibet etiam quantumvis juridica, pia, & privilegiata causa, colore, praetextu, & capite, etiam in corpore Juris clauso, etiam enormis, enormissimae, & totalis laesionis nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, & substantiiali, ac incogitato, & incogitabili, individuaque expressionem requirente defectu, notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos Juris reduci, seu adversus illas aperiitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque Juris, facti, vel gratiae remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concessio, vel emanato quempian in Judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse: sed ipsas praesentes literas semper, firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suorum plenarios, & effectus effectus fortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit inviolabiliter, & inconcusse observari.

§.3. Sique, & non aliter in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac dictae Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de Laterae Legatos, & Sedis Apostolicae Nuncios, ac memoratae Cruciate Sanctae Commissarios, aliosve quoslibet quaecumque praeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.4. Non obstantibus praemissis, ac Apostolicis, & in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quorumvis Ordinum, Congregationum, Societatum, & Institutorum, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis, eisdem Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, & Institutis, illorumque Superioribus, & personis, ac aliis quibusvis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis Clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, seu ad quarumcumque personarum, etiam quavis Ecclesiastica, vel mundana dignitate fulgentium instantiam, aut earum contemplatione, seu alias quomodolibet in genere, vel in specie, etiam consistorialiter concessis, ac pluries, & quantiscumque vicibus confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum non autem per Clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia

Declaratio pro facultate solius Confessarii ab Ordinario loci approbati motu proprio facta.

Poenae.

Damnatio opinionis pro facultate Confessarii a quoquam contrario approbati.

Poenae.

Clausulae.

alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & infererentur, praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permanens ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque,

§.5. Ceterum, ut eadem praesentes Literae omnibus facilius innotescant, nec quisquam illarum ignorantiam, valeat allegare, volumus, & Apostolica auctoritate decernimus, ut illae ad valvas Basilicae Principis Apostolorum, ac Cancellariae Apostolicae, necnon Curiae Generalis in Monte Citatorio, & in Acie Campi Florae de Urbe per aliquem ex Curforibus nostris, ut moris est, publicentur, illarumque exempla ibidem affixa relinquantur; ita ut sic publicatae omnes, & singulos, quos concernunt, perinde afficiant, ac si unicuique illorum personaliter notificatae, & intimatae fuissent.

§.6. Utque ipsarum praesentium transumptis, seu exemplis, etiam imprellis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo persone in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides, tam in Judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibita, vel ostensa.

Datum Romae apud S. Mariam Major. sub Annulo Piscatoris die XIX. Aprilis MDCC. Pontificatus nostri Anno Nono.

CXCV.

Erigitur Congregatio San. Hippolyti Hospitalis Pauperum Infirmorum in Indiis Occidentalibus cum confirmatione Privilegiorum, & Indulgentiarum.

Confirmata fuit erectio d. Hospitalis cum suis Statutis a Greg. XIII., & Sixto V. a Clem. VIII. Const. ed. 1596, Aprilis concessa fuisse privilegia, & Indulgentia Hospitalis Sancti Joannis Dei. Et Const. ed. 1604, Oct. 11, P. 13, & in Congregationem erecta adjecto Voto obedientiae, & Hospitalitatis. Ab hoc Pontifice Const. ed. 1693, Dec. 14, 3 concessa fuit Indulgentia. Et Const. ed. 1700, P. 9 confirmantur Constitutiones.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Extordium.

EX debito Pastoralis Officii, quo Ecclesiae Catholicae per universum Terrarum Orbem diffusa regimini Divina dispositione praesidemus Congregationes Christianissimum pietatis, & Christianae charitatis operibus ad Pauperum Infirmorum, & Convalescentium subventionem, & utilitatem laudabili studio incumbendum, paterno charitatis affectu prosequimur, felicitate illarum statui, ac ut personae, quae tamquam vitam institutum susceperant, in ea vocatione, in qua vocatae sunt, perseverent usque in finem, opportunis rationibus, & favoribus providere studemus, sicut, omnibus mature

consideratis ad Omnipotentis Dei gloriam, piorum operum incrementum, & animarum salutem expedire in Domino arbitramur.

§.1. Dudum siquidem postquam quondam Bernardinus Alvarez Insula, dum viveret Civitatis Mexican. in Indiis Occidentalibus Hospitalis sub invocatione S. Hippolyti Martyris, in cuius festivitate olim dicta Civitas ab Idololatri Gentilibus detenta ad Christianorum potestatem devenerat, prope, & extra muros ejusdem Civitatis, pro pauperibus Christianissimum Infirmis, & Convalescentibus curandis, aliisque pietatis operibus exercendis, sub certis Statutis, & Ordinationibus de Ordinarii Loci licentia erigi, & fundari curaverat, fel. rec. Gregor. PP. VIII. Praedecessor noster, supplicationibus ipsius Bernardini nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, erectionem, & fundationem Hospitalis, ac Statuta, & Ordinationes hujusmodi approbavit, illisque perpetuae firmitatis robur adjecit, & alias prout rec. mem. Sixti Papae V. similiter Praedecessoris nostri Literis, cum praedictus Gregorius Praedecessor, antequam ejuslitera super praemissis conficerentur, rebus humanis fuisset exemptus, sub plumbo in forma rationi congrua defuper expeditis, uberior continetur: Postmodum vero pia memor. Clemens PP. VIII., etiam Praedecessor noster fide dignorum relatione accepto, Hospitalis praedictum, benedicens Domino, adeo excrevisse, ut in praedictarum Indiarum Occidentalium partibus alia Hospitalia, & similia erecta, & fundata existissent, per quaedam suas in simili forma Brevis die 2. Aprilis 1596. emanatas literas inter alia ordinavit, seu concessit, quod omnia, & singula Hospitalia hujusmodi, tam erecta, quam in posterum erigenda, eorumque Confratres, & pro tempore existentes in eisdem Indiis Occidentalibus omnibus, & singulis gratiis, privilegiis, praerogativis, facultatibus, Indultis, Indulgentiis tam spiritualibus, quam temporalibus, & favoribus a similibus me. Pio V., ac praedictis Gregorio, & Sixto Praedecessoribus, necnon a quibusvis aliis Romanis Pontificibus, etiam Praedecessoribus nostris Hospitalibus Joannis Dei, eo nimirum in Sanctorum numerum nondum relato, nec Ordine Fratrum ejusdem S. Joannis Dei ad hoc instituto, tunc nuncupatis Regnotum Hispaniarum quomodolibet concessis uti, frui, & gaudere, libere, & licite possent, & valerent in omnibus, & per omnia, perinde ac si ipsis nominatim, & aequo principaliter concessa fuissent; Ac deinde ipsi Clementi Praedecessori pro parte tunc existentium Superioris fratris Majoris nuncupati dicti Hospitalis S. Hippolyti, & Confratrum tam ejusdem Sancti Hippolyti, quam aliorum sex Hospitalium ab eo dependentium exposito, quod dicta Hospitalia sub praedictorum Statutorum, & Ordinationum observatione spatio plurium annorum prospere, & feliciter administrata, ac tam spiritualibus, quam temporalibus incrementis aucta, & in unam Congregationem S. Hippolyti nuncupatam redacta fuerant, sed successu temporis familiaris experientia, ususque quotidianus docuerat plerisque ipsorum Hospitalium Confratres, emissis licet de more castitatis, & paupertatis votis, in suscepto tamen per eos vitae Hospitalitatis Instituto, ex eo praesertim, quod ipsi perpetuae Hospitalitatis, & obedientiae votis

Octus & progreffus d. Hospitalis postea in Congregationem erecti cum suis statutis, adjectione voti obedientiae & Hospitalitatis ac privilegiorum concessione.